

No. 426. 1355. 3. Febr.

*Der Probst und Convent versprechen dem B. Johann I. und dem Domcapitel das Fest der heil. Barbara feierlich zu begehen.*

In nomine domini amen.<sup>1)</sup> Nos Nicolaus de Dresden dictus Wylandistorf praepositus, Margareta abbatissa<sup>2)</sup>, Elyzabeth<sup>3)</sup> priorissa totusque conventus sanctorum monasterii sanctae Crucis prope Misnam recognoscimus et tenore praesentium publice profiteamur, quod promisimus et praesentibus promittimus bona fide reverendo in Christo patri ac domino domino Johanni episcopo Misnensi suisque successoribus ac honorabilibus viris dominis praeposito, decano totique capitulo ecclesiae Misnensis, quod festivitatem beatae Barbarae virginis singulis annis cum cantu consueto et aliis solempnitatibus, prout in aliis festivitibus duplicibus observare consuevimus, peragere volumus temporibus perpetuis et ad observantiam huiusmodi<sup>4)</sup> festivitatis nos et nostrum monasterium obligamus, renunciantes pro nobis et nostris successoribus ac dicto nostro monasterio omnibus et singulis exemptionibus libertatibus privilegiis impetratis vel impetrandis statutis consuetudinibus et quibuscunque legum vel canonum auxiliis, per quae contra praesentem obligationem nos iuvare et quorum vel quarum occasione in aliquo contravenire possemus. Et ut hoc libentius facere debeamus, ultra indulgentias dictam festivitatem peragentibus generaliter per dictum dominum episcopum datas et concessas idem reverendus pater duos solidos annui census apud nos et in bonis nostris pro sua pecunia nobis integraliter persoluta comparavit. Qui quidem duo solidi solvuntur et solvi debent futuris temporibus singulis annis in festo beati Martini episcopi et confessoris<sup>5)</sup> de dimidio manso Petri Petze inquilini in villa Coserin et ab eius heredibus seu dictum dimidium mansum situm in iam dicta villa Coserin pro tempore possidentibus subcustodi ecclesiae Misnensis, ita ut dictae ecclesiae subcustos qui pro tempore fuerit pro dictis duobus solidis grossorum in dicta festivitate annis singulis emere debeat pisces et nobis seu nostro conventui ministrare. Statuit etiam et ordinavit, quod praepositus dicti monasterii qui pro tempore fuerit in eadem festivitate singulis annis quatuor modios tritici et quatuor stupas vini nobis debeat ministrare. Quae quidem omnia et singula praemissa promittimus inviolabiliter observare, et in eorundem evidens testimonium hanc nostram patentem litteram scribi fecimus ac sigillorum praepositurae et conventus nostrorum praedictorum appensione muniri. Actum et datum in monasterio nostro praedicto<sup>6)</sup> anno domini M<sup>o</sup>.CCC<sup>o</sup>. quinquagesimo quinto in die beati Blasii episcopi et martyris<sup>7)</sup>, praesentibus honorabilibus viris et discretis<sup>8)</sup> dominis Henrico praeposito Wurcinensi, Nicolao doctore decretorum archidiacono Lusatiae canonicis ac Fridelmo, Hermanno de Jochgrim et Petro Tammenhayn necnon Jacobo de Zwickauia, perpetuis vicariis ecclesiae Misnensis, ac aliis pluribus fide dignis testibus ad praemissa vocatis specialiter et rogatis.<sup>9)</sup>

Nach zwei Originalen, A. im Stiftsarchiv zu Meissen mit dem Siegel des Probstes, das des Convents ist verloren gegangen, B. im K. Haupt-Staatsarchiv zu Dresden, wo beide Siegel abhanden gekommen sind.

1) *In nom. dom. amen* fehlt in B. 2) *A. abbatissa* B. 3) *Name ausradirt* in B. 4) *huius* B. 5) *festo beatae Katherinae virginis* B. 6) *in monasterio nostro praedicto* fehlt in B. 7) *mart. et episcopi* B. 8) *discretis* fehlt B. 9) *doctore decretorum can., H. de Cerin, Al. Eckehardi, P. Tammenhain perpetuorum vicariorum ecclesiae praedictae et aliis plurimis fide dignis* B.